

10
11
12
13
14



Restaurierung
H. D. Lomp
36110 Schlitz



777FB 39



^{ck}
CONFIRMATIO
VERAE ET OR-
THODOXAE DOCTRI-
NÆ, QVOD FILIVS DEI
DOMINVS NOSTER IESVS
Christus sit & verus Deus, & Pa-
tri homouosios, & æqualis.

Contra

*Postremum de eo Gilberti Genebrardi Doctoris
Parisiensis scriptum.*

PER LAMBERTVM DANAEVM.

Cyrillus in Euangelium Ioannis lib. 2. cap. 135.

Filius non conuenienter dicitur secundus naturā à Patre.



GENEVÆ,
APVD EVSTATHIVM VIGNON.
M. D. LXXXV.

CONFIRMATIO
VERAE ET OR-
THODOXAE DOCTRINAE

IN DEO QUOD FILIVS DEI

DOMINVS NOSTER IESVS

CHRISTVS IN VERBO DOMINI & PATRIS

IN NOMINE & ESSENTIA

CONSISTIT

TESTIMONIUM DE DEO CATHOLICIS DOCTRINIS

TRINITY SCRIPTUM

PER LAURENTIUM DANAYAN

CONFESSORIS & MARTIRIS

TRINITY CONFESSORIS & MARTIRIS

1522



1522

CONFIRMATIO
VERAE ET OR-
THODOXAE DOCTRINAE

IN DEO QUOD FILIVS DEI



CONFIRMATIO

VERAE ET ORTHO-
DOXAE DOCTRINAE,
QUOD FILIVS DEI DOMINVS
NOSTER IESVS CHRISTVS
fit & verus Deus, & Patri æqualis.

Contra

*Postremum de eo Gilberti Genebrardi Do-
ctoris Parisiensis scriptum.*

PER LAMBERTVM DANAEV M.



QVVM è Flandria discedés, Lute-
tiã anno Domini M.D. LXXXIII.
circa finem Iulii mensis venis-
sem, oblat^o mihi fuit ab amicis
libellus quidam ante biënium;
vt frons ipsa & inscriptio ferebat à G. Gene-
brardo, & Francisco Iordano communi ope-
ra æditus: vt autem res habet, tam paucis ho-
minibus notus, tamque fama obscurus, quam
si vnquam extitisset. Idque duplici de causa
fiebat. Primum, quòd cõtumeliarum plenum
esset hoc scripti genus, quanquam de re tamè
õninium grauissima, nempe de Sancta Trini-

A. ij.

tate, in eo disputatio esset suscepta: deinde, quòd nullas probationes in argumento tanti momenti afferret: in conuitiis autem legendis nullam voluptatem viri probi capiât, momenta verò rationum in diuersarum sententiarum collatione spectent, & requirant, quæ quom absunt, scripta contemnuntur. Accedebat præterea ipsius Genebrardi nomen, qui quum in Chronico suo piis omnibus & viuis, & mortuis maledixerit, meritò in odiù hominum incurrebat. Atque hoc ipsum odiù in sese præsentens Genebrardus, respondendi ac disputandi partes alii delegauit. Partes autem conuitiandi (in qua vna eloquentiæ parte triumphat) sibi reseruauit. Et certè non immeritò ille iam fatiscens alienam ad se tuèdum operam propter virium suarum imbecillitatem conduxit: sociamque vulpem vulpes ipse asciiuit, vt communibus coniunctisque dolis potius, quàm viribus robustiores in me vnum insurgerent: verùm tamè ne sic quidem propterea vincetur sacrosanctæ de Trinitate diuinarum personarum doctrinæ veritas, quàm & antea in libello meo defendi, atque etiam num defendo. Nam aduersus eam ne quidem ipsæ inferorum portæ, aut phalanges collectæ, præualerunt, quemadmodum pollicetur Christus Matth. 16. Etsi verò illud vulgò dici solet, *ne Hercules quidem corra duos*: tamen istorum duorum, & simul aduersus Deum potius quàm in me coniuratorum hostium vires non me terrent. Sunt enim istorum

rum

rum argumenta nulla, aut infirma: sunt fraudes & paralogismi cuius perspicui. Ac nisi amicorum preces hoc à me flagitassent, hoc toto responso certè quidem superfedissem. Ergo quoniam mihi, ad quem tandem vester iste communis labor peruenit, sic piis viris postulantis propositum est iterum veritatem doctrinæ de S. Trinitate hîc eandem confirmare, quâ in primo meo aduersus Genebrardum libello probaui, vtrique vestrû hoc vno scripto (vt vna fidelia duos dealbem parietes) breuiter respondeo. Erunt autem huius mei opusculi partes duæ: Vna, qua eâ ipsâ fidem, quam oppugnatis confirmem ex Patribus ipsis potius, quàm meis verbis. Altera, in qua, Iordane, tua argumenta dissoluam. Coniuncta enim in me vestra, quæ sunt perpetua, vobis, quia Christianus sum, condono: quam ea ipsa vos minimè, vt fraternè moneam, decent.

A. iij.





CONFIRMATIO NOSTRAE

doctrinae.

Venio igitur ad ipsius sententia
meæ confirmationem: dixi Chri-
stum & esse & orthodoxè dici *αυ-*
τόθου, quatenus nimirum vnus est
cum Patre Deus, & communis, imò vna & ea-
dem numero essentia est in vtroque, videlicet
filio & Patre. Hoc ipsum verò doceo, probò-
que ex Patribus, quos vos Genebrarde & Ior-
dane, minimè, vt video, legistis, nempe vni
Richardo vestro homini, scriptorìque insul-
so prorsus addicti. Negatis enim idque per-
tinaciter, Christum, seu Filium Dei ratione
essentiæ diuinæ (quam *ὁμοουσιον, ἕτερον* cum Pa-
tre, & quidem ab æterno habet) eadem habe-
re, & à se, quæ Pater. Negatis proinde esse v-
num, & idem cum Patre, atque ita emendica-
tam dūtaxat, precariam, mutuaticiam, ac secū-
dariam quandam Deitatem æterno Dei Fi-
lio, verò Deo cum Arianis apertè tribuitis.
Cur id verò? Quoniam (qua estis animi cecī-
tate) essentiam diuinam (quæ Patri, Filio &
Spiritui sancto non modò communis est, vt
tu putas Genebrarde, sed vna numero) distin-
guere, mentèque secernere ab eorundem per-
sona minimè potestis: *Ἰνυ ἕτερον* (cuius ratione
in tribus illis planè *ταυτότης* est, & que singula-
tissi-

rissima, atq; vna prorsus) cū ἑρμῆος ἰμπέρεως (quo realiter, et si non essentialiter personæ illæ inter sese distinguuntur) aut impiè, aut imperitè confunditis. Sed quidni faceretis, qui tenebris immergi altiora nequaquam sapitis. Præclare enim Augustinus sermo. 147. de Tempore, *In homine carnali regula intelligendi est consuetudo cernendi.* Eadem igitur in S. Trinitate, quæ de consanguineis inter se hominibus, aut indiuiduis eiusdem speciei sapitis. Nam hæc vestra sententia est. Audite verò Cyrillum, verum illum Deitatis Christi aduersus vestri similes hæreticos Ariomanitas propugnatorem, & tamen idem mecum & sentientem, & scribentem. Neque verò propterea Cyrillus à quocumque pio censetur Sabellianismo inficere doctrinam de S. Trinitate, quo crimine vos me, meamque sententiam apud vestros traducitis. Sed est Cyrillus testis veritatis, vestra exceptione, maior in hoc argumento, itaque admittetur ab omnibus Orthodoxis. Audite igitur (Nam hoc repetā, vt vos, quos in Christo diligo, si quo pacto possim, à veteri errore reuocem, & Christo lucrifaciam) hominem in ea contra & Sabellianos, & Arianos disputatione exercitissimum, non de schola tantum, & umbratili pugna profectum, vt vos: sed à Spiritu sancto, & duro diuturnoque cum istis hæreticorum monstris certamine eruditum, ac edoctum, qui sic lib. 2. Commentariorum in Ioan. Euangeliū cap. 146. scribit: *Neque enim esset natura Deus Filius, si Deitatis*

pulchritudo, atque potestas forinsecus illi accideret: sed ipse quidem Pater perfectiones Deitatis possideret, quum per characterem naturæ suæ, atque per virtutem propriam operetur. Nam qui ita credit, alium quendam querere necesse illi est, qui tam Imagini, quam primitiuis ista largiatur. Verum quoniam ex Patris essentia est filius, ac omnes genitoris perfectiones naturaliter possidet, unâ cum ipso identitate naturæ continetur. Audisne igitur Genebrarde, audisne Iordane sententiam eorum, qui Christum Filium Dei æternum Deum idem omnino atque Patrem ipsum, ratione essentia, habere negant, ac proinde nolunt cum dici *αὐτὸθεὸς* & *ἄσέ*, *ἄσέ* inquam, habere illam Maiestatem, Sapientiam, Virtutem, Perfectionem (quâ Deus est) à Cyrillo dānari, & eosdē illos aliū, quàm Iohannem Euangelistā huius doctrine assertorē quærere. Tales vos certè quidē estis, ac proinde sanctā illā Trinitatem evertitis, dum aliā in Filio Deitatem, quàm in Patre primitiuis statuitis. Idem Cyrillus li. 9. Commentariorum in Ioan. cap. 37. 51. *Ἄσέ* (Arrigite aures Genebrardini) *idem naturaliter non habeat filius ad faciendā omnia, sed ab alio extrinsecus, falso imago Patris appellatur.* i. falso filius Dei esse creditur, qui tamen filius Dei ubique dicitur in sancta Scriptura. Idem cap. 34. *Non aduentitiis adæqualitatem Patris dignitatibus filius conformatur.* Item eiusdē operis lib. 2. cap. 140. probat ea, etiam quæ filius Dei à Patre habere dicitur, *Ἄσέ* tamē, essentia ratione habere. *Plena gloria Deitas est,* ait Cyrillus

rillus, etiam si à nobis nihil acceperit. Quod autem à se habet (nota phrasim Genebrarde) si id loco honoris accipit, non est minor propterea eo, qui obtulit. Quare nec Pater maior proprio filio est. Legis igitur, idque manifestissimè, vt abs te negari non possit, Filium Dei (quatenus vnus cū Patre Deus est. i. ratione propriæ, diuinæque essentiæ) à se habere, quæ habet. Alioqui secundarius quidam, & precarius Deus sit filius necesse est, non verus, & æqualis Patri, quod planè blasphemum & Arianum esse confirmat idem Cyrillus eodem lib. 2. in Ioan. cap. 133. Item lib. 9. cap. 37. de Christo Filio Dei agens. Non enim aliunde, sed à se naturaliter habet omnia primitus, ac vt primitiuum: alioqui necesse erit concedere ipsum quoque primitiuum, id est Patrem non à se, sed ab alio hanc virtutem mutuari, quippe qui se talem (qualis ipse est) in imagine natura sue (i. in filio) nobis ostēderit. Et cap. 4. Nam si verè est idè quod participat, & quod participatur, cur opus participatione erit. Num gratiam in ipsa substantia Christi datam fuisse Paulus asserit? Sed furor est hoc modo ista intelligere. Denique sic tādē pius ille Dei Athleta Cyrillus 1. Cor. c. r. cōcludit, Distingui quidem à Patre Filium etiam ipsi prosternur, non naturam, neque essentiam, vt vobis Arianis, vt Genebrardicis improbè videatur: sed personam id est, quia filius in propria persona esse intelligitur, & verè subsistit. Filius enim est, & non Pater. Essentialiter verò distinguuntur non modò non dicimus, verum & omnes qui dicunt, à consortio fratrum depellimus. Identitas

enim illa essentia diuine, quæ à sancta Scriptura monstratur esse in Patre, & in Filio non in lineamenti corporis, aut in vlla corporali figura sita est, ait idē lib. 3. cap. 29: sed in essentia, gloria, potestateque regia Deitatis, quam Pater & Filius habent, non tantum parem, sed etiam numero eandem. Hæc omnia igitur Cyrillus, ex quibus facile intelligi potest, & Filium Dei à se habere quâ Deus, quæ habet, ac proinde *αὐτὸθεῶν* orthodoxè, & rectè nominari: neque id Sabellianismi macula meritò notari posse. Quæ eadem quâ dicamus ipsi, planè à tam bono Patre, ac medico ea, quam tu nostræ doctrine infligere conaris, hærescos Sabellianæ plaga sanamur, & infamia (qua nos notas) ab eodem Patre, vt vides Genebrarde, abstergimur. Verùm alios quoque Patres audiamus, & eos ipsos (quoniam à Græcis cœpimus) etiam Græcos, qui idem nobiscum contra istos crabrones sentiūt, eosq; à nobis nostræque doctrina procul abigunt. Basilii in illa piissima, & elegantissima epistola de fide ad Cæsarienses, docet hoc fuisse tritum ac familiare Arianorum, quemadmodum nunc Genebrardicorum hæreticorum, argumentum, vt negarent Christum esse *αὐτὸθεῶν*, & à se habere, quâ Deus est, eadem, quæ Pater, aut ea ipsa, quæ haberet. *Primum, ait, nobis proponatur istud, Ego viuo per Patrem. Hoc enim est unum ex zelis, quæ ab impijs hominibus (qui eo viuunt) iaciuntur in ipsum cœlum. Cæterum illud dictum non, vt opinor, hic denotat æternam illam vitam, quæ*

Filius

Ioan. 6.
verf. 57.

Filius Dei viuit, vt Deus. Quicquid enim per aliud viuit, non potest esse αὐτοζών i. ipsamet vita. Sicut non potest illud, quod ab alio calefit, esse αὐτοθερμός i. ipsemet calor. Verum Christus, & Deus noster dixit, Ego sum vita. Quamobrem verba illa vitam significant, quam in carne vivebat Christus, & que in hoc tempore facta est, quam vixit per Patrem. Volens enim Christus in hac vita peregrinatus est. Itaque non dixit, vixi per Patrem, sed ego vivo per Patrem, perspicue denotans hanc vitam presentem. Vides igitur Genebrarde, quum ex Basilii sententia Christus Dei Filius sit re ipsa αὐτοζών eam A se habere quoque qua Deus est, & qua, vt Deus, viuit: ac proinde & αὐθάθεος (quod inde omnino consequens est) esse appellandum. Ergo ait idem Basiliius, Qui essentia Deus est, & Pater, genuit Deum essentia, & Filium. Nam ex hoc ὁμοούσιος Patris, & Filii i. coessentialitas demonstratur, quod qui naturâ Deus est, coessentialis est ei, qui naturâ quoque Deus est. Denique lib. I. contra Eunomium negat idē, vllam esse prærogatiuâ Patris supra filium ratione essentia.

Hæc ego breuius iam perstringo, quod latius eadem ex aliis Patrum locis in superiore libello meo demonstrauit. Neque enim hîc eosdem illos locos, quos antea ex Patribus citauit, nunc repeto, Genebrarde: sed alios, vt omnes intelligant nusquam nō apud illos pios & orthodoxos Patres nostrâ sententiâ aperte probari, atque confirmari, quantumuis in nos debacchetur, & pro suæ scholæ more, nobis

iste bardus monachus conuicietur. Chrysoft. Homil. 37. in Euangelium Ioa. sic arguuntur, *Si quos vult, filius vniusi at, potest ergo hoc A se facere, velle enim potestatis est. Quod si id non potest à seipso (attende Genebrarde) iam quos vult, non vniuscat Filius. Hæc verò mutuo coherent, ac sese consequuntur, vt si illud quod vnus Dei proprium est, A se potest filius, sit *αὐτόθεος*: si sit *αὐτόθεος*, vt ea, quæ Dei sunt, A se habeat, idque vt iam sæpius dixi, intus rationeque diuinæ essentia (quæ in tribus illis & par, & vna est) : non autem ipsius personæ, quam singulæ suam, & ab alia distinctam habent. Verùm essentia, & Personæ diuersas *ἰνυδαί* vbique confundunt homines isti Arianismus nempe, velut hircum foedissimumque odorem, profus olentes. Didymus lib. 2. de Spiritu sancto ex versione Hyeronimi. *Qua habet Pater iuxta substantiam. i. eternitatem, immutabilitatem, incorruptionem, immutabilem bonitatem de se, & in se subsistentem (nota verba DE SE, Genebrarde) hæc eadem habet & Filius. Denique Nonnus poeta Christianus, & Græcus, dum Ioan. Euangelij caput 10. carmine reddit, sic scribit.**

*Αὐτός ἐγώ, καὶ ἐκ τῆς οὐρα κατὰ τὴν ἑαυτοῦ ἐν γένος ἰσμεν, ἰδίον
 Ἐμψύλον αὐτοῦ ὁμοεικότου, ὁ δὲν φῶτα γενεῖα νόσση.*
*Ipsè ego, atque, Regens Pater sumus genus vnum,
 Insitum per se vel à se stirpem habens, radicatum,
 vnde planta infinite mundi sunt. Perpende vocem
 αὐτοῦ ὁμοεικότου, & desine tandem illud negare,
 quod verum est videlicet Christum & esse*

esse & orthodoxè dici *αὐτόθεον*. Neque verò obieceris quod idem Nonnus cap. 5. habet, *ὁ θεὸν αὐτογένετον ἐὸν κίχλοσ κε τοκῆα*, quasi solum duntaxat Patrem *αὐτόθεον* nominari velit. Addit enim postea idem Nonnus parem nihilominus esse Filii, atque Patris honorem, ac potestatem, filiumque ipsum appellat *ἰσοῦζον ὁ γενετῆς*. Præterea quim vox *αὐτογένετον* ad personarum distinctionem propriè refertur, non ad essentiam, faciliè contendimus solum Patrem vocari *αὐτογέννητον* seu *αὐτογένετον*, vt pote qui à nullo sit, vel procedat. Quod idem tamen de *αὐτοπρέμνω* seu *αὐτοθέω* neque ego, neque Nonnus, vt vides, tibi, aut alii cuiquam concesserimus: quod vtrumque Christo, seu Dei filio conuenit, licet non sit *αὐτογένετῆς*. Et hæc quidem Patres orthodoxi græci homines. Iam latinus testes in eadem hac causa producamus, vt appareat & Iordanum, & Genebrardum esse indoctissimos homines, & omni piæ vetustati repugnantes, quantumuis magnificè se iactent, & doctos Theologos esse venditent. Sed quid mirū est monachum esse, & indoctum, & tamen animal gloriæ, vt in pari argumēto Tertulliani verba vsurpem? Verū in piorum, non autem istorum petulantium hominum gratiam de patribus Latinis testimonia quoque proferamus, quibus apparet Christum (qua Deus est) *ἔχει* se habere, quæ habet, & *αὐτόθεον* esse, quod isti fraterculi in toto hoc libello pernegarunt. Leo primus olim Romanus Episcopus (sed illi

tunc nondum erant scruissimi Ecclesiae tyranni, & veri Antichristi quales nunc sunt) Leo inquam, ille primus Eutychetis oppugnator, & idem acerrimus, ac verissimus fidei Christianae propugnator Epif. 10. sic aduersum te, tuamque heresin, Genebrarde scribit, *In nullo à Patre differēs est filius, quia Deus de Deo: omnipotens de omnipotente: de aeterno natus est coaeternus, non posterior tempore, non inferior potestate, non dissimilis gloria, non diuisibilis essentia.* Ergo quod habet Pater, vti Deus, hoc quoque habet & filius qua Deus est, quia est eiusdē cum Patre essentiae & gloriae, & vt qua Deus non modò in se illa habet Pater, sed etiam à se: sic qua Deus est filius (non autem qua filius, quae duo perpetuò perturbas Genebrarde, ac mices) habet eadem quoque filius, & in se, & à se. Audi adhuc & alium Episcopum Romanum, sed eundem orthodoxum, & veterem quoque non ex eorum numero, qui veram Dei Ecclesiam ferro, flammaeque persequuntur, audi inquam, Hormisdam Epif. 1. aduersus eos qui qua Personae ratione de Patre & filio dicuntur, ad essentiam diuinam per sese in illis personis consideratam improbe transferunt. *Adoremus, ait Hormisda, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum indistinctam distincte, incomprehensibilem, & inenarrabilem substantiam Trinitatis, ubi etsi admittit numerum ratio personarum, unitas tamen non admittit essentiae separationem: ita tamen ut seruemus diuina propria natura, seruemus propria unicuique persona,*
ut nec

ut nec personis Diuinitatis singularitas denegatur: nec ad essentiam hoc, quod est proprium nominum, transferatur. Hæc Hormisda. Proprium tamē nominum appellat propria personarum, quemadmodum ante eum dixerat Tertullianus. *Fides nominum est salus proprietatum.* Hæc contra te, qui essentia, & personæ rationem confundis. Aug. in Ioan. Euang. tract. 19. *Hoc est ergo habere lucem in semetipso (quod proculdubio conuenit Christo) non indigere luce ex altero. Non enim sicut anima aliquid aliud est, antequam illuminetur, & fit melius quam illuminatur participatione melioris: ita & verbum filius Dei aliquid erat antequam acciperet vitam, ut participando habeat vitam: sed vitam habet in semetipso, ac per hoc ipse est ipsa vita.* Ergo & vitam habet à seipso quatenus est ipsa vita Dei filius. Hoc ipsum Bernardus quoque postea sermone 8. in Cantica Canticorum latius explicat, & in Augustini sententiam pedibus ita. Nam ait idem Bernardus sermone 76. eiusdem operis. *Aequalitas profecto est, ubi coæternitas, & usque adeo equalitas, ut vna sit claritas amborum, sicut ipsi vnum sunt.* Iuuenus poëta Christianus caput 6. Euangelii secundum Ioannem conuertens præclare, & in eandem sententiam sic canit.

*Nam sicut genitor vitam sibi possidet in se
Sic tribuit Nato vitam.*

Gloria quò maneat similis natòque Patrique.

Denique ut ex quouis hominum Christianorum genere, & quauis ætate damnari co-

gnoscas, En tibi Lyranum quoque. Nam ille prorsus consentit nobiscū in Ioan. Euan-
gelium cap. 3. vers. penult. sic de filio scribens;
*Dedit omnia in manu eius in quantum Deus ha-
bet eandem potentiam cum Patre: sic & eandem
essentiam.* Item alibi nempe cap. 5. v. 25. *Deus
Pater est vita per essentiam, & per consequens
filius, quum sint una essentia, & una vita.* Quæro
verò Genebrarde, potestne Filius, & Patris es-
sentia esse vna? potestne Filius, quā Deus est,
esse vita ipsa, (non autem dico & qua Filius
est) & vitam à se non habere, quum id sentis,
& scribis, profectò in re maximè seria nuga-
ris. At fortassis excipis, Pater dicitur à Patri-
bus *αἰνῶν*, Filius verò *αἰνῶν*. Respondeo ve-
rò, ac primùm quidem ex Ambrosio lib. de
Incarnatione vnigeniti cap. 9. Arianos hære-
ticos sæpe hoc *αἰνῶν* vocabulum (quo Patres
nōnunquam vti fuerāt, reposuisse, atq; vrisse.
Itaque quum idem facias, vides per teipsum,
in quo hominum albo sis ex Ambrosii sen-
tentiā censendus. Deinde concedimus & Patrē
αἰνῶν, & filium *αἰνῶν* dici posse, sed ratione
personationis, seu Personæ: non autem ratio-
ne essentia, quod tamē cum Valentino Gen-
tili hæretico sentis, neque enim, quemadmo-
dum præclare etiam Lombardus docet; in
diuina essentia generat essentiam; Id quod
nihilominus contra nosmet ipsos, & pontifi-
ces Romanos, & Scholasticos doctores do-
ces, & ita diuinam essentiam multiplicas, no-
bisque iam non vnum Deum iuxta illud, *An-
di Israel*

di Israel Deus tuus, Deus unus est, sed tres diuersosque deos fingis. Hoc ipsum est quod dixit Augustinus, *Substantiâ (i. essentiâ) nihil differt à Patre filius, differt autem in causalitatis gradu. i. ratione personæ, & ἰσότητι ὑποστάσεως*, quemadmodum Patres Græci, & orthodoxi loquuntur. *Nascendo verò omnia consecutus est Filius quæ sunt Dei.* Guilielmus Occa. in Cētilogio, *Quamuis*, ait, *Deus Pater concedatur generasse Deum Filiū, & per cōsequens fuisse quodammodo causa filij, à nullo tamen conceditur, Deus est, vel fuit causa Dei, quia nullam penitus causam habet id, quod Deus est.* Hæc ille aduersum te Genebrarde, vt ex eo filium, & esse αὐτόθεον, & à se habere vitam quam viuit, vt Deus, faciliè colligi possit. Affers quoque & illud *Dicitur solus Pater ἀσέγγυτος: filius verò σέγγυτος.* Respondeo hoc ipsum proferebat quoque Aëtius hæreticus ille teterrimus Deitatis Christi, seu Filii Dei hostis, quemadmodum in eius hæresi refert Epiphanius: hoc ipsum premebat Eunomium, vt tradit Basilius aduersus illius hæresin scribens. Verùm quid hoc Aëtianum argumentum vos iuuat, Genebrarde, & Iordane. Cōcedo enim alterum Patri, alterum filio propriè conuenire, ratione personæ videlicet, id est, in ea collatione, quæ fit inter ipsos ratione præcessionis, non autem ratione essentię, id est, quatenus ipsa diuina essentia, quæ in Patre & filio est vna, & quidem numero: quatenus per se & absque cogitatione personationis consideratur, vt tibi cogitanda fuit. Audi

B. j.

igitur Patrem Hilarium lib.9. de S. Trinitate,
 & quum differre significatione ipsa existimetur. *In-*
nascibilitas (sic enim ἀγενεσίαις vocabulum La-
 tine conuertit Hilarius) à *natiuitate*, *natiuitas*
tamen (filii) nō est extra *innascibilitatis naturam*,
quia non sumpsit aliunde (filius) *quod subsistit*, nē-
 pè quā Deus vnus cum Patre, ratione essen-
 tiæ: non autem quā Filius, ratione personæ ab
 eadem distinctus. Persona quidem, & essentia
 non sunt duo quædam diuersa realia, vt per-
 sona nimirum addat aliquid alterum reale ad
 essentiam Filii, est enim filius vt Pater reali-
 tatis ratione, diuina essentia, simplicissima, &
 non composita ex pluribus realitatibus. No-
 tio tamen personæ à notione essentiæ etiam
 in diuinis, & alia est, & distingui debet, quē-
 admodum in libello meo copiosè docui ex
 August. ad quem te breuitatis gratia remit-
 to. Hoc ipsum est quod tu Iordane, sed bar-
 bare dicis, te didicisse à præceptoribus tuis
Personas nempe diuinas distingui a se, nō autem
 ab ipsa essentia diuina. Denique si mihi illud
 obicis quod est apud August. in Ioannis E-
 uang. tractatu. 19. *Pater de nullo Patre: Filius de*
Deo Patre. Pater quod est à nullo est: Filius verò,
& quod Filius, propter Patrem est, & quod est à
Patre est, ex eodem Augustino & ex eodem
 loco respondebo. *Dedit pater filio vt filius esset*
 i. ratione personæ, non autem essentiæ illud
 esse intelligendum: sed quid pluribus opus
 est, vt probem Christum esse ἀυτόθεον. Iorda-
 nus quid aliud sentit, & scribit, dum ait fol.

71. pag. I. omnia in Trinitate esse unã, & quod est in ingenito, hoc est in genito, nisi obftet personarum relatio. Quare ubique Valétinum, & re, & nomine Gentilem (quem & Calvinus, & ego oppugnamus) perire vult, & detestatur. Vides igitur vt mecum cõsentias, à teipso autem dissentias. Ergo Pater genuit æqualem sibi filium ratione essentix: non dedit igitur ei vt Deus esset, qui prius non erat: non dedit vt vitam participando haberet, quam prius non habebat, quàm enim hoc esset absurdum, & & blasphemum, sed dedit vt filius esset. i. genuit Pater, qui in semetipso vita est, filium, qui esset quoque vita in semetipso, ac propterea dicitur, addit August. dedit filio habere vitam in semetipso. Breuius dixerim genuit pater filium, si enim participando haberet vitam Filius, non in semetipso, posset & amittendo esse sine vita. Hoc in filio ne accipias, ne cogites, ne credas clamat August. Quod tamen absurdissimum incommodum ex vestra sententia, Genebrarde, & Iordane, manifestè sequitur. Idem tractatu vigesimo eiusdem operis. Quare habet filius à patre vt faciat? quia à patre habet vt sit filius. Quia ergo potentia filij de patre est, ideo & substantia filij de patre est. Ergo quia filius de patre est, ideo dixi non potest Filius à se facere quicquam, sed hoc est, non potest filius à se quicquam facere, quod esset si diceret, non est filius à se, nempe quã filius, & persona à patre distincta. Habetis igitur Genebrarde, & Iordane Augustinum, quem

fortasse quispiam tuorum nobis obiiceret, sui interpretem, & tuas hæreses confutantem. Ex quibus apparet Augustinum planè nobiscum sensisse.

CONFUTATIO INEPTISSI-
*marum Francisci Iordani responsio-
 num ad nostrum li-
 bellum.*

I AM verò sequitur mei libelli pars altera de hoc eodem argumento. Primùm probas, & rectè quidem, Franciscæ Iordane, quòd omnes aduersus S. Trinitatem hæreses dixi ad Sabellianorum, & Arianorum nomina reuocari, quos duos hereseon scopulos, vt orthodoxi Patres euitarent, verbum Dei velut lucidissimam Pharon semper in suis disputationibus sunt intui: quid ni verò hanc meam sententiam & probes, & laudes? quum istam non ex meo Cerebro depromserim, sed à Basilio eruditissimo scriptore in Homil. contra Sabellianos, & Augustino tractatu 35. & 37. in Ioannis Euangelium didicerim. *Gubernet Catholicus inquit Augus. inter vtrumque fidei sue nauigium, quoniam in vtroque cauendum est naufragium.* Sed obiicis mihi scèdum & grammaticalem errorem, quòd Pharon masculino genere, quemadmodum putas, scripserim. Atqui tu, mi homo, fol. 67. pag. 1. linea antepe-

multi-

nultima idem ipsum peccatum admittis. Sic enim scribis, *Nos sequimur tutissimum scriptura Pharon.* Scis autem, *Turpe est doctori, quum culpa redarguit ipsum.* Et fortassè me Grammatices ignarum iudicas ex tuorum Magistrorum nostrorum ingenio, quorum penè nemo vel latinè loquitur, vel emēdatè: id quod omnes sciunt, ac Lutetiæ audiunt. Tu certè Grammaticum te, nō autem Theologum ostendis qui pro Theologicis, significationes *substantiui & adiectiui nominis*, idque etiam, si Deo placet, ex metaphysicis, non autē ex Grammaticis ineptissimis explicas, & obrudis: itē quod differant *essentia, individuum, suppositum, & persona*, quæ omnia sunt lippis, ac tōsoriibus nō ex Thoma, Durando, Occano notissima, sed ex Damasceni Dialectica, Basilij sermone de Essentia, & persona, & disputationibus aduersus Eunomium. Verūm quid ages, si tuos errores planè pueriles ipse corrigam, qui vbiq; in Græcis peccas. *Αὐτότε* & scribis pro *αὐτότε* & *ὑπὸς αὐτε* & pro *ὑποσάσεως*, & dices monstruosum pro monstruoso, (ne vt Porphyrius tangit) item hominem esse in honore latinè dici affirmas, & sexcenta alia. Sed audi quod res est, Typographi peccatum fuit, quum in meo libello pag. 5. semel legis certissimum Pharon pro *certissimam* quod Typographicarum operarum erratum facilè ipse per te, nisi maledicere studuisses, poteras excusare. Cæterū ab initio responsionis tuæ vsque ad fol. 6. nihil quod ad me spectet, affers. Pagina

Jordan.
fol. 68.
pag. 1.

verò prima eiusdem folij 68. ais tandem Christum ipsum fateri se, quæ habet, accepisse à Patre, & id ipsum quoque Florétino Concilio repetitum. Audi quid dicam, primùm confundis locum Matth. II. & 28. & Ioan. 3. vers. 35. vbi Christus de se homine agit, cui sunt omnia à Patre tradita cum loco eiusdem Ioannis cap. 5. vers. 26. 6. vers. 57. vbi de se Deo, & patris æterni æterno filio concionatur. Deinde dico idem hîc quod in nostro libello, vel teipso teste tam apertè dixi, filiû quatenus filius, & ratione personæ habere à Patre quæ habet: quatenus verò non modò Deus, verùm etiam vnum cum Patre, vt ipse loquitur, esse eiusdem omninò, & æqualis cum Patre essentiæ, & habere à se quæ habet. Sed tu, vt fucum tuis in me calumniis faceres, perpetuò essentiæ rationem cum persona confundis. Ergo quatenus essentia illa diuina quæ simplicissima, & numero vna, est in tribus illis Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, per se consideratur, vera est nostra sententia ne Deitas in vno, quàm in alio minor inferiorque statuatur: quatenus autem relatè eadem essentia in Personis spectatur, tibi, tuèque sententiæ subscribimus. Nam processiones, personarum ratio, & τρῶτες ὑπαρξείας constituit tres distinctas personas, sed personationis: processionisque notio, & cogitatio, atque personarum diuinarum χαρακτῆρισμὸς ab essentiæ, quæ in illis est, definitione, ac ratione distinguenda, discernen-

cernendâque est, vt & eandem in tribus
 essentiam retineamus, neque personas S.
 Trinitatis tollamus, aut confundamus: quod
 esse faciendum docet fides Catholica, & ve-
 ra: addit enim proculdubiò aliquid non rea-
 le, sed notionale, ad essentiam filii ratio, de-
 finitio, cogitatioque personationis seu pro-
 cessionis eiusdem à Patre, quemadmodum
 & scholastici ipsi fatentur, & ante eos do-
 cuit apertissimè Augustinus. *Omnia essentia
 quæ relatiuè dicitur est, ait Augustinus, etiam ali-
 quid excepto relatiuo.* Item tractatu 19. in Ioa.
*Aliud est quum tibi commendatur Deus, quâ
 Deus, & aliud est, quum tibi commendatur Deus,
 quâ Pater, est, item & Filius: quum tibi, quâ
 Deus commendatur omnipotens, tibi commenda-
 tur summus Spiritus aternus & cætera.* Ergo vt
 tandem concludam personæ ratio etiam in
 diuinis ab essentiæ ratione, & definitione
 diuersa est, ac proinde minimè vtraque (quod
 vos Iordane, & Genebrarde facitis) confun-
 denda, aut perturbanda. Atque hæc nostra
 solutio discutit infinitas nebulas & argu-
 menta, quæ tu nobis obiicis. Cæterùm ais
 à me locum Fulgentij fuisse truncatum: le-
 gatur locus ille, qui extat apud eum libr. 2. ad
 Mominum. Dixi Calvinum esse Orthodo-
 xum, qui Patrem senserit in diuinis ratione
 personationis (quoniam Pater inter illas
 tres personas Diuinas est principium relatio-
 nis) dici *αὐτὸν* Deum: Denique *ἡ ἰουα*, seu
 B. iij.

Iordan.
 fol. 69.
 pag. 1.
 In libel-
 lo meo
 pag. 32.

Jordan.
fol. 72.
pag. 2.

Jordan.
fol. 74.
pag. 1.
fol. 75.
pag. 1. sibi
contradi-
cit nobis
fauct.

primatum Deitatis eidem eadem ratione, non autem essentia respectu, tribui à Patribus: tu verò id falsum esse contendis, & à Genebrardo contra Scheckium fuisse confutatum. Sed illud quod est verum, Iordane, nō potest, vel esse falsum, vel à quoquam homine pio euerti. Illud autem, quod scripsi, esse verissimum, & ex verbo Dei, & ex Patribus probavi, Patrem ratione processio- nis, ac relationis personarum esse princi- pium, fontem primum, vt tu ipse fateris fol. 74, vi veritatis coactus. Denique *ἀξιωμα* inter diuinas personas Pater obtinet. Vnde & in symbolo Apostolico dicimus primum de Patre, *Credo in Deum, patrem omnipotentem*, atque ita Basilius, ceterique Patres orthodoxi sentiunt, scribuntque, qui tamen idem nullam *κατ' ἑσῆαν* esse Patris *ὑπεροχὴν* (vt Basilius loquitur lib. 1. contra Eunomium) admittunt, quorum sententia prorsus astipulamur atque accedimus. Verum neque tu neque Genebrardus homines ineptissimi vnquam tam bonos scriptores vel legistis, vel intellexistis. Ratione igitur diuinæ Essentiæ competit equè nomen Dei tribus personis: ratione verò Personæ primum Patri, atque ita *κατ' ἑσῆαν* Patrem dici Deum, idque orthodoxè confirmant Patres: Ceterum quom ex eo colligis, quoniam Pater genuit essentialiter Filium, Filium non esse *ὑπερόθεν*, quā Deus est, rurpissimè falleris,

Ieris, & concludis ineptissimè. Nam eodem
semper impingis essentiæ rationem cum per-
sonæ, seu relationis notione miscens, & per-
turbans. Itaque statim te ipsum refutas, ad-
disque folio sequenti nempe 77, factus. i. *Essen-
tialis hæc à Patre generatio non facit distinctionem
in essentia, sed in persona duntaxat.* Vides igitur,
mi Iordane, vt mihi profus assentiaris, &
meus sis, te verò iugules, ac Genebrardum
tuum fraterculum prodas, & vt ex illius castris
in mea migres dum nullam inter Patrem, &
Filium differentiam, & in essentiæ ratione
distinctionem agnoscis. Et rectè quidem, vt
impius tandem esse desinas, nobis autem piis
te adiungas. Quod porrò ais *Filium Dei non
fore naturalem filium, nisi à Patre, & substantiam
(essentiam dicere voluisti) & existentiam acce-*
perit, nihil nos lædit. Aliud enim est filium ^{Jordan.}
habere essentiã à Patre, quod concedimus. ^{fol. 77.}
aliud autem eam essentiã, quam habet filius ^{pag. 2.}
à Patre, non esse æqualem Patri, ac proinde
eam non suapte vi, neque à se subsistere, ne-
que per se Deum esse atque propterea (quod
omnino consequens est, & necessarium) ne-
que *αὐτὸθεῖον* esse, quod tu vis: ego verò cum ex
ipso verbo Dei, tum ex tota pia, & erudita
vetustate, & antea confutauì, & nunc quoque
euerto. Pulchrè verò, vt tibi videtur, & lepidè
illatione inepta, id est, Sorbonica concludis,
quum addis ex nostra sententia sequi, vt Chri-
stus sit *αὐτὸθεῖος* ^{Jordan.} & cogitatione, non autem re ipsa: in ^{fol. 78.}
quo primùm respondeo solida doctrina, non ^{pag. 1.}

sarcasms, aut sannis in Deum in hac disputa-
 tione opus esse. ἐστὶ γὰρ ἐχθρὰ σοφία λόγῳ σπείρειν θεῶν,
 vt inquit Plato. Dico igitur Christum non
 ἐπινοῶν, aut sola cogitatione αὐτόθεν esse, sed
 tā reipsa, & verè, quàm verè Deus est, & qui-
 dem vnum est cum Patre: sed isto sale, isto
 in me conuitio oblectare te voluisti, vt tuis
 ridiculus, & benè dicax magistro nostro vi-
 dere vis: quod tamen vitium in homine Chri-
 stiano damnat Paulus. Verùm quid scriberes
 animaduertere accuratius, diligentiusque
 debuisti, qui vbique *separare pro distinguere*
vsurpas: Substantiam pro essentia ponas: Exi-
stentiam pro subsistentia dicas: denique omnia
 perturbas ea mera rerum, & verborum igno-
 rantia, in quos tuos grauissimos errores ego
 meritò iocari possum, si liberet: sed hìc, vt
 dixi, nihil iocis opus est, seria res agitur. Nam
 quod clamas *essentiam diuinam non separari ab*
existentia, nisi quis existimet, essentiam absque
personis existere. Verùm clamas, Separatio enim
 essentiaè ab existentia inducit illud absurdum,
 quod ais. Nam fingis Deitatem aliquam exi-
 stere extra illas diuinas personas: quod est im-
 piissimum. Sed aliud est separare, aliud autem
 distinguere. Qui duo quædam separat, vtrique
 illorum tribuit non modò aliam, atque aliam
 existentiam, verùm etiam aliã, atque aliam nu-
 mero essentia: denique ea inter se, & loco, &
 realiter diuellit, vt vbi vnũ sit, ibi dem non sit
 alterum. Hæc enim est notio, & vis separatio-
 nis, quod de personis diuinis nemo pius vn-
 quam dixerit. Itaque neque nos essentiam di-
 diuinam

uinam ab existētia separamus, vt tu loqueris, tanquam ea subsistat extra tres illas personas diuinas, sed essentia diuinæ rātionē à personarū relatione, & personationis notione, definitione, & respectu orthodoxè distinguimus duntaxat, quas res nemo pius vnquā confuderit. Verūm vos non modò tenebriones, sed tenebræ, vos imperiti homines tā altè in arcana illa cœlestia, quæ sunt nihilominus ipsius nostræ fidei fundamentū, penetrare minimè potestis, eaque aspernamini, quæ non cōsequimini animo, velut *Λυξιοι* prorsus homines & bruta pecora, vt loquitur Iudas in Epistola. Certè Lombardus, cuius te discipulū profiteris, *personas ab essentia* distinxit, nō autē separauit, neque essentiam modū existēdi esse dixit. Ait enim lib. 1. sentētiarum distinct. 34. cap. 40. *Nō tamen diffitemur aliquam distinctionem habendam fore secundum intelligentia rationē, quum dicitur hypostasis: & quum dicitur essentia, quia ibi significatur quod est cōmune tribus: hīc verò non.* Quis enim orthodoxus, obsecro, vnquam scripsit *ιδιότηας*, vt græci vocant, seu *εξαιρισμῶν* seu *τρόπων ὑπαρξέως* i. proprietates, insignia, & modū existendi, quo personę Patris, Filii, & Spiritus sancti inter se distinguuntur, esse idem cum vna illa, & eadē diuina, quæ in illis subsistit, essentia? Id quod ex illa tua vocis *separandi* cum voce *distinguendi* cōfusione facis, & essentiam à persona non secernis, sed diuellis. Quare ne transferas ad essentiā personarū, quod est relationis, neque ad separationem, quod est distinctionis duntaxat earū proprium, vt quod diximus Christum filium

Dei, quâ Deus est, esse *αὐτὸ θεῶν* intelligas, & esse eiusdem cum Patre essentia, potestatis, maiestatis, ac virium. Et hæc quidem sunt tua, vel nulla, vt vides: vel leuissima argumenta, Iordane, quæ vt nostram sententiam, id est, verbi diuini veritatem oppugnares, comminisci conatus es: quibus à me confutatis ad secundum caput, quod est inter me, & Genebrardum in quæstione, accedo.

CONFIRMATIO SECVN-
di Capitis à me propositi, & con-
trariorum argumentorum
confutatio.

In eo verò iâ breuior ero. Primum autem, vt in superiori loco, meam sententiam ex Patribus confirmabo breuiter: deinde te, vel Genebrardum potius refellam. Dixi pleraque patrum phrasas esse duras, quarum in hoc argumento exempla in meo libello aliquot protuli, vt ostenderem hanc quoque patrum locutionem *Deum de Deo*, esse & duriusculam, & hæreticis eam extra Patrum mentem acerbius vrgentibus errandi, aut erroris sui constabiliendi occasionem præbuisse. Iam verò alia eiusdem rei in hoc eodem argumento exempla en tibi, quoniam id ipsum in hoc præsertim argumento, idque improbè, contraque tuam ipsius conscientiam negas, vt
victor

victor veritatis à me defensæ videare. En igitur alia exempla, quæ tu nunquam vel solves, uti neque priora attigisti: vel eludes, ut superiora voluisti. Durè loquitur Cyrillus, dum appellat *filium fructum substantiæ Patris*, si quis verba ipsa urgeat. Nam filium vel *καρπὸν*, vel *καρπὸν* Patris dici, vix Athanasius, & Basilius concesserint. Et tamen sic Cyrillus, nempe ut summam fecunditatem, ac vbertatem Deitatis significaret, quæ in filio est à Patre, quæque nobis per eundem filium ex effectis communicatur & sentitur. Sed tamen quis propterea eam duriores esse locutionem negaverit? Idem Cyrillus quum ait lib. 3. in idem Euang. Joannis, *Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum in una Deitatis natura sese divissim* *χωριστῶς* *habere* nōne durè loquitur? Quid Chrysostomus Homil. 69. in idem Evangel. quum sic scribit, *Quemadmodum pater tradit filio, ita & filius patri*, nōne durè: & quidem quasi Sabellianis telum ad suum errorem porrigit, si horum verborum corticem, & literalem sensum premant? Quid Augustinus vir tamen, & sanctissimus, & pientissimus, & orthodoxus (si quis alius) in Euang. Ioan. tractat. 14. quum sic loquitur, *Pater mittens filium, se alterum misit*. Et tractatu 20. quum ait Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum *sibi coherere*. Item in sermonibus de tempore *personas divinas dividi*, en tibi Bernardum, pro Coronide (ut cuiusvis seculi Patres habeas) quum ait, *In tribus perseveravit unitas personalis*, quàm abs te

Cyrl. in
Ioan. libr.
10. cap. 4.

Cyrrillus
in Ioan.
lib. 3. cap.

24.

August.
serm. 189.
& 190. de
tempore.

& Iordano tuo pedissequo verba hæc premēte dicitur pius ille Bernardus, Sabellianismo doctrinam de Sancta Trinitate inficere, quā tu exclamabis, quam calumniā hæreseos illi, vti & nobis affingēs: neque hæc quidem certè annoto, vt turpitudinē sanctissimorum illorum patrum (quod fieri prohibet lex Dei) detegā: absit hoc à me, meisque moribus, qui patres istos, eorumque scripta, tantum, quantum qui maximè, & venerari, & legere soleo. Sed vt istis calūniatoribus, veræ Christi Deitatis hostibus infestissimis, planèque Arrianis, Genebrardo dico, & Iordano, monstrem, quod res est, nimirum & olim, & nunc quoque esse datas hæreticis hominibus occasiones, leues illas quidē, sed tam occasiones, ex huiusmodi duris locutionibus confirmandi errores suos. Sic quum diceretur *Deus de Deo*, id est, Filius ex Patre genitus, & multiplicari, & diuersa statui ipsa diuina essentia videbatur: non autem solæ duntaxat personæ in diuinis diuersæ designari. Ergo quæ phrasæ ex ipsorum quidem patrum mente intellectæ piū sensum habuissent, eadē ab hæreticis hominibus ex natura eorum verborū (quibus patres vsi sunt) significatione explicatæ turbas, rixasque in Ecclesia pepererunt, quoniam errores quorundam hereticorum verbis istis adiuuare, ac suffulcire videbantur. Atque hæc esto secundi capituli (quod inter me & Genebrardum cōtrouertitur) confirmatio. Iā ad ea, quæ ipse cōtra mihi obiicit, examināda venio. Neque enim in toto hoc capite, vti neque in sequētibus mihi cum Iordano vlllo pacto res est: sed apertè cū Ge-

nebrardo. Nam & stylus vehemētiore & con-
 uicia satis ex Genebrardi præfatione repetita
 arguunt esse hanc totā bilem Genebrardi ho-
 minis furiosi, & deliri Monachi, quantumuis
 nomē Iordani illa præ se ferāt. Ergo hoc loco
 mihi fas sit illud Isaaci Patriarchæ vsurpare,
*vox quidem, vox Iacobi i. Iordani: manus autē &
 scriptio manus Esau. i. Genebrardi.* Certè nō ha-
 bebat Iordanus vir cordatior, quā præceptor
 ipse, quod afferret mihi que obiectaret. Quā
 obrē tacere hīc maluit & cedere, quā contra
 conscientiam suam pugnare, id quod est ho-
 minis ingenui, itaque totam hanc partē mihi
 tanquam victori, libenter concessit. Verūm
 quid hīc ais Iordano Genebrarde, errorē ni-
 mirum addis errori. Nam vt neget Patres in-
 commodè locutos: profers ipse incommodif-
 simæ phrasī exemplū, nimirum quòd sacram
 Domini Cœnam Græci Patres appellarint
 θυσία σωτηρίου, ἀνάμνησιν, ἀνάμνησιν. Latini verò sa-
 crificium, & hostiam. Incommodè omninò
 hoc pro te exemplū profero. Nā ex ea phrasī
 sacramentum illud sacre Domini Cœnæ pri-
 mū in sacrificiū Missæ, deinde in sacrilegiū
 transformastis, & trās substantialistis, id est, ter-
 rimum omnium errorem cudistis, illis Pa-
 trum verbis abusi. Panem enim pistum, co-
 ctum, & furfuraceum pro vero Christo domi-
 no nostro substituiistis: oblationē ab eo semel
 omnia peccata mundi delenda factam, ac suf-
 ficientem deleuistis, & insufficientem esse
 contenditis: denique ex Christianis Christi
 hostes estis effecti, quòd incommodam illam
 Patrum de sacrificio corporis, & sanguinis Ie-
 su Christi locutionem, verbāque illorum

Iordano
 Genebr
 fol. 81.
 pag. 1.

Judaicè vrsistis: ad mentem autem, & pium Patrum sensum nequaquam attendistis. Ergo vel hoc vnum exemplum à te prolatum meam confirmat sententiam, euerit tuam, esse nimirum quasdam patrum locutiones duras & incommodas. Atque vos iidem non in hac vna, verum vbiq̃ decepti estis. Nam ex illis Patrum *ἀπολογία* papisticas vestras superstitiones confixistis, verborum corticem duntaxat prementes, nucleum autem, & veram eorum mentem negligentes, ac præmittentes. Verum pergamus. Ais postea, *quum Deus Pater Filium generauit, Pater generauit Deum*. Concedo, quoniam distinctè ais *Pater*; alioquin Deus in diuinis nõ generat, vel *Lombardeo tuo* teste, sed Pater filium, ne essentia diuina multiplicetur fiantque tres Dii, siue æquales eos inter se dixeris, siue inæquales. Quod vel sentire, nedum scribere, aut cuiquã sentiendi, scribendique occasionẽ porrigere, est planè blasphemum. Et tamen id nos docere conaris, id est, verissimũ totius Christianæ religionis fundamentum tollis. Porro addis explicationem huius locutionis, *Deum de Deo*, quæ non ex verbis ipsis abs te, verum ex mète duntaxat patrum profertur. In quo iam vel te ipso teste dura apparet hæc locutio, quæ ex æqua interpretatione abs te foit emollienda, non autem ex natia verborum significatione simpliciter petenda. Nam verba hæc *Deus de Deo* ipsa per se, & vt sonant, non sinunt, suadentque ex sese, vt eandem numero Deitatem

Jordan.
Genebr.
fol. sr. fac.
2.

fol. sr.
Pag. 2.

Deitatem, ac essentiam esse in Patre, & Filio quis existimet, nisi interpretationem illam æquiore m adiunxerit ex mente patrum: quam nos certè quidem toto pectore amplectimur, & sequimur, sed aliud est profiteri quid credas, aliud autem explicare quid verba propriè significant, de quo hïc inter nos quæritur. Ceterùm in hac ipsa interpretatione verborum *Deus de Deo* ita & obscurus es, & perplexus, vt maximè nostram sententiam de incommoditate huius phrasıs confirmes. Nam modò ex Lombardo sic explicas, *Deus est de Deo*, id est substantia diuina genuit Filium, deinde id est natura coæterna de Deo est, id est Filius coæternus Patri de Deo est: obsecro verò potèstne ea phrasıs, & locutio non esse dura, & incommoda, in qua tories addis ipse, *id est*: in qua exponenda tot glossematis tuis fuit opus? id negare non potes. Modò quoque sic eandem priore illa repudiata interpretationis, *Deus est de Deo*, id est persona Deitate prædita, personam Deitate præditam, id est Pater filium propriè genuit. Vides igitur vt labores ipse in hac phrası. Porro inuidiam tãdem mihi conflare studes cùm ex commendatione concilii Niceni primi, vbi hæc locutio vsurpata est, tum ex laude Patrũ, qui in eo interfuerunt. Ex re tanti denique momenti argutaris, colligisque minimè cuiquam verisimile videri posse, Patres illos in illa Synodo dare tam angusta fuisse durè locutos. Respõdeo verò & omne istud crimen tam inuidiosum à me amolior. Concedo enim, si phrasıs ista ab

aliquo ex synodi Nicenæ prima, & patrum illorum mente sumatur, piûm esse illius sensum. Sed ubi illius verba per sese spectantur, certè ex propria notatione eorû aliud, quàm quod illi tunc senserunt, quispiam colliget, & præsertim Arrianus, quemadmodum antea dixi, id est multiplicationem, differentiamque diuinæ essentia. Quidni verò hæretici verbis illius Synodi abutantur, quod tibi videtur mirû, qui ipsa sacræ Scripturæ verba corrumpunt? Et hæc quidem ad secundum caput huius disputationis: ubi agitur de hac locutione, *Deus de Deo.*

CONFIRMATIO TERTII CAPITULI à me propositi, & contrariorum argumentorum confutatio.

TERTIUM caput meæ aduersus Genibrardum disputationis fuit de hac quoque phrasi *Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nostri*, quam ipsam satis latinam & perspicuam esse negauimus, Idque multis de causis: primum, quod sumat abstractum numerum pro concreto: deinde quod numerum ipsum pro rebus numeratis ponat: denique quoniam rationem, qua personæ diuinæ tres sunt, ac numerantur cum ratione, & notione: qua eodem vnus Deus dicuntur, confundere videatur. Quem-

Quemadmodum enim nemo rectè latinèque dixerit, *humanitas currit* pro eo quod dicitur *homo currit*. Nemo scripserit latinè *Trinitas hominum* pro *tribus hominibus*: nemo quoque usurpauerit, *Trinitas est unitas*: sic neque Trinitas est vnus, vel Deus, vel essentia. Præclare enim Lombardus, vt te per tuos iugulem, libro primo sententiarum distinctione 18. cap. 1. *Hinc oritur, ait, ne pater eo pater, quo Deus: nec Filius eo filius, quo Deus*. Ergo neque Pater, Filius, & Spiritus sanctus eo sunt tres, quo vnus: quas tamen diuersas ~~essentias~~ vel tollere, vel obscurare censei potest hæc phrasis. Nam ait idem Lombardus, libro 1. eiusdem operis distinctione 34. cap. 4. *Alia est intelligentiæ ratio, quum significatur, & dicitur in diuinis hypostasis seu persona, Et quum dicitur essentia, quem locum iam tibi citauim. Quum enim dicitur essentia, illud notatur quod est illis commune: quum autem dicitur hypostasis, illud designatur, quod est proprium cuiusque personæ, ac alii personæ incommunicabile. Ergo quum Trinitas ad hypostases, vnus ad essentiam omninò in hac phrasi pertineat, diuersa illa intelligentiæ ratio in eadem locutione confundi à quopiam fortassis existimabitur. Fulgent. de Fide ad Petrum capite primo, *Trinitas ad personas patris, Filij, & Spiritus sancti refertur: unitas ad essentiam*. Denique & hîc quoque illud Augustini repetendum, quod antea citauimus, extractatu 19. in Euangelium*

Ioannis. Aliud est quum tibi commendatur, quia Deus: & aliud quum tibi commendatur quia Pater, & tamen hæc phrasis hæc omnia tollere videri potest. Quare rectius loquitur Augustinus libro 3. contra Maximinum cap. 19. quum ait, *Hi tres sunt unus Deus*, Et ita sciendum, vt latinè, perspicuèque loquerentur, proculdubio fuit: atque absque periculo, & cuiusquam vexatione id fieret.

Cæterum quid contra obiciamus videamus, primùm nugaris tuo more. Nam quum hîc Theologica in disputatione versemur, nos ad Grammaticam reuocas, sic defultoriè hoc argumentum nimirum tractas, vt ab equis (quemadmodum dicitur) ad Asinos, à Theologis ad Grammaticos transuoles. In quo certè me tui disspuduit. Ais enim in hac phrasi esse *Auxesin*, quòd plus dicatur, quum *Trinitas* quàm quum tres pronuntiantur, vt si quis pro sapiente appelletur ipsa sapientia. Apage istas tuas figuras Grammaticas, quæ & obscuritatem, non lucem rebus afferunt: Et tam angustum argumentum perturbant, non explicant. *Trinitas* enim hoc loco improprie, *Tres* autem proprie diceretur. Ad dis abstractum in ista phrasi supponere pro concreto. Quis verò ignorat hanc locutionem sic esse ex mente Patrum explicandam, sed quum addatur *Miserere* (sic enim concepta est *Sancta Trinitas unus Deus miserere nostri*)

noſtri) quis non videt Trinitatem hîc fingi velut rem quandam, eſſentiãque ſubſiſtente[m] præter Deitatem, ſeu præter illum Deum vnum? Nam actiones *miferendi*, *puniendi*, & cæteræ huiusmodi ſunt ſuppoſitorum, non abſtractorum: Dei, non numeri, aut numeroſitatis, quæ duntaxat vocabulo *Trinitas* ſignificatur. Recurris ad huius locutionis interpretationem ex mente Patrum videlicet, non autem ex ipſa verborum ſignificatione. Et illam quis negat? Neque vt abſte doceremur opus fuit, Noſtri iſta prius te, tuôſque docuerunt, quàm natus eſſes, nedum Grammaticus. Sed alius eſt, Genebrarde, hanc phaſim ex interpretatione quadam æqua (quam nos Orthodoxi admittimus) mollire, aliud quid verba ipſa ſonent, ac per ſeſe velint, attendere. Quod erat in quæſtione poſitum, & à te defendendum. Quod denique illud Hieronymi citas, *Trinitatis Deus creauit omnia*, Nemo non, quantumuis Hieronymi fautor, dixerit iſtam locutionem planè duram eſſe, vt omnes pii vident. Et de hac locutione, tertioque diſſertationis noſtræ capite hæctenus.

C. iij.

CONFIRMATIO QUARTI CA-
pituli à me propositi, & contrariorum
Argumentorum con-
futatio.

VENIO ad quartum, & vltimum caput, vbi de eo quaritur, An non rectè, & Orthodoxè scriptum sit à nostris, *Tres personas in vna diuina Essentia subsistere*. Et certè quidè tam multa tū ex Dei verbo, tū ex Patribus in priore illo libello nostro protulimus testimonia, vt de eo nemo iam dubitare possit quin piè & Orthodoxè consequenterque S. Scripturæ sic dicatur & sentiatur. Vnum tantum aut alterum, lucis causâ, hoc tamen loco addam, ne otio abuti videar, si pluribus rem confirmatissimam confirmauero. Thomas ille Aquinas, ex cuius nutu, & scriptis pendent homines Scholastici præceptores tui, sic pro nobis militat, vt non dūtaxat loco ita loquatur, vti nos, & nos absoluat, Nimirum vt videant isti vel suos præceptores nobis fauentes, esse autè ipsis aduersarios, discantque in posterum accuratius in iis ipsis versari. Nam tunc nos, nostramque doctrinam damnare desinēt nisi & suos ipsi præceptores quoque eiusdem hæresis reos peragere velint, quod, vt opinor, non facient. Nec enim hoc illis cederet impunè, Ergo Thomam Aquinatem legant

gant isti in I. 2^a. quæst. 30. in responsione, audient, legentque disertè eodem modo, eademque phrasi, qua nos, loquentem, *personam subsistere in diuina natura, seu essentia.*

Quod me temerè, aut semel apud eum extare putem, legant eiusdem operis quæst. 29. ad Articul. I. *Persona*, ait, *ut dictum est supra significat relationem pro ut est subsistens in natura diuina.* Quid Lombardus? certè non aliud sentit cap. *His adiiciendum* & duobus seq. lib. I. Sent. Dist. 19. quem locum ille ex August. lib. 5. Trinit. c. 9. sumpsit. Et hæc quidem breuitatis causa ad superioris sententiæ firmitatem. Quid tu verò cōtrà? Primum conuitia in me, cumulas. Verùm tandem me Metaphysicum saltem agnoscis, quem ybique tamen velut hominè indoctum traduxisti. Estnè verò indoctus, Genebrarde, qui tuo ipsius iudicio est metaphysicus? Sed conuitia in me vestra, reliquaque peccata Dominus vobis per Christum condonet. Quæris, quæ mens fingere possit personam subsistere in natura? Respondeo, mens cuiusuis hominis rectè & orthodoxè de S. Trinitate sentientis id potest, quæ vnâ eandemque numero essentiam esse in tribus illis diuinis personis crediderit, mens Lombardi, mens Thomæ Aquinatis hoc ipsum potest non fingere, ut tu loqueris, sed intelligere. Hoc igitur cognouerūt tui, in S. Trinitate præsertim, in qua tres personæ non sunt sic indiuidua diuinæ essentiæ, vt in illis ea multiplicetur fiatque quantitatiua Deitas, vt loquuntur in Scholis.

C. iiij.

Quemadmodū tres homines sunt indiuidua humanitatis, tres Angeli tria indiuidua angelicae speciei, & naturæ. Sed tua mens, Genebrarde, nunquam assequetur hæc, aut apprehendet, qui *πλὴν θεῶν* tres Deos nobis fingis, qui Christi Deitatem Patri æqualem eueritis, qui denique apertè, sed tamen impiissimè, scribis, *quod est consanguinitas inter homines: hoc est diuina essentia inter tres illas sanctissimas personas.* Erunt igitur tres illæ personæ, per te, tres diuini consanguinei: & erit per te essentia Filii, filia essentia Patris. En quò tandem eoadat istius Arriani furor potius quàm error. Tua mens, Iordane, hoc quòd quæris, non capit, qui ne prima quidem elementa noueris huius disputationis, & argumenti de sancta Trinitate (quòd tamen tractandum suscepisti). Mens mea capit, mens Bezzæ capit, mens piorum omnium & orthodoxorum, vt semel dicam, ne statnamus tres personas diuinas esse tria duntaxat infimæ, vt loqueris, speciei, indiuidua nimirum Deitatis, vt tu hoc ipso loco ex tuis libris repetis. Imò ne ipsa quidem personarum diuinarum *τῆς ἁριστείας*, & circuminfectio (quâ topere laudas) defendi potest, nisi admittatur, sitque orthodoxa hæc locutio & sententia nostra, *Tres personæ in una essentia diuina subsistunt.* Addis porrò latissimam esse differentiam inter *esse* & *subsistere* quia locum ex Paulo ex

Genebr.
lib. 1. de S
Trinit.

Iordan.
Genebr.
fol. 91.
pag. 1 & 2.
fol. 92.
pag. 1.
fol. 91.
pag. 1.

lo ex epist. ad Philip. protuli, vbi Christus seu filius Dei disertè scribitur ὑπαρχῖν ἐν μορφῇ θεῷ ac proinde illius persona subsistere in natura diuina, ex ipsiſ Pauli verbis. Verùm vt hanc tibi concedam, & benignè largiar differentiam (quod tamen in hoc argumento & in hac natura simplicissima minimè verum est) quid illa differentia, quantumuis lata, te iuuat, Genebrarde? Nam manifestè cum Paulo loquimur, quim dicimus personas ὑπαρχῖν ἰ. subsistere ἐν μορφῇ θεῷ ἰ. in natura Diuina. Hanc enim in eo Pauli loco veram, ac genuinam esse τῆ ὑπαρχῖν significationem, nemo in Græcis doctus negauerit. Ergo quascunque distinctiones quæras, & σωφὰ vt tibi videatur φάρμακα, & κρησφύγετα, à Paulo manifestè damnaris, qui pro nobis iudex in hac causa optimus vindicias pro me profert. Verùm quod postea subiicis differre in his personis rationem subsistendi à ratione prædicandi. Ergo vis licet subsistant re ^{Jordan.} ipsa personæ in illa natura diuina, id ta ^{Genebr.} men sic verbis enuntiari non debere. Quid ^{fol. 92.} audio Genebrarde? Quàm falsa & ^{pag. 1.} ^{fol. 93.} à ^{pag. 2.} Professore Theologo Regio aliena, aliam esse rationem subsistendi, aliam prædicandi?

Imò verò discite ex me, talem vbiq; esse rationem vera prædicationis, & enuntiationis rei alicuius de alia, qualis est ratio subsistentiæ, coherentiæq; eiusdem rei cum

illa altera. Alioqui enuntiatio falsa sit necesse est, si aliud dicatur & proferatur oratione, quam quod verè res habet & est, quemadmodum pulchrè docet Aristoteles, & ipse tu (tui nimirum hìc oblitus) in præfatione huius libri concedis. Ergo quale est inesse, & subsistere diuinarum personarum in natura diuina, talis sit enuntiatio & oratio, prædicationeque de iisdem necesse est. Ex quo fit, vt quemadmodum personæ illæ re ipsa in illa natura diuina insunt ac subsistunt, eæque duntaxat, non aliq̄ nec alibi, nec extra eam: sic verè quoque piè, & orthodoxè contra Genesardum dicatur, Tres personas in diuina essentia subsistere *à τριπλόθεν δ' εἰς ἓνα*. Assers porro exemplum à natura humana, quam ais *subsistere in Petra & Ioanne, non autem Petrum, & Ioannem subsistere in natura*. Primum mirè hoc exemplum tibi placet de indiuiduis eiusdem speciei, quòd Deitatem putas esse infimam, vt impiè loqueris, speciem, cuius tria sunt indiuidua, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Verùm falleris. Non sunt tres personæ diuinæ tria Deitatis, vt speciei, indiuidua. Nam quanuis in rebus creatis species in indiuiduis subsistant, non indiuidua in specie, ac proinde solùm dicatur illa species in suis indiuiduis subsistere, non autem ipsa indiuidua in specie: alia tamen est peculiarisq; ratio huius S. Trinitatis, in qua personæ non sunt Deitatis seu diuinæ nature propria indiuidua: sed tria

sed tria *ὑπάρχοντα*, quæ & singula, & simul tria totam illam naturam, & quidem eandem numero & unam complectuntur, continentque, nec eam multiplicant. Cuius singularitatis explicandæ gratiâ, singulari quoque phrasi & locutione vsunt in hoc argumento verè pii. Neque verò, Genebrarde, negamus, aut unquam negauimus rectè dici Diuinam naturam subsistere in tribus illis personis: sed vt hæc vera est enunciatio, sic nostram quoque piam esse defendimus. *Persona ille in Diuina essentia, seu natura subsistunt.* Et hæc quidem de quatuor à me propositis antea capitibus hæctenus tum aduersus Franciscum Iordanum (quem tu, quia tua tueri solus non poteras, parapistem adiunxisti) tum etiam aduersus teipsum. Nunc autem ad illam tuam in me virulentam præfationem accedo Genebrarde, & quod in tuo libro est *πρόσφασις* facio *ὑπερβόη*. Sed tu loedorias & maledicentiam primam loquentiæ tuæ partem putas. Quid enim ea præfatio aliud, quàm meras calumnias, & conuitia petulantissimi ingenij tui iudicia certissima continet? Et quidem huiusmodi, qualia nemo Christianus unquam dixerit, nedū is, qui se Theologum Regium, idque Lutetiæ (que madmodum ambitiosè facis) esse venditat? Ad ea verò minimè respondebo, quanquam est, vt ait Xenophon, *καλεπώτερον ἀκράματα λοιδόρειν*. Quot enim conuitia in me dixisti, toties te mentitum esse omnes sciunt, qui me norunt, sed quid ex ore illo tuo

impuro, & spurco aliud, quàm spurca expectet
 homines? quum vel ipso sancto Spiritu teste,
 Ex improbis prodeat improbitas, idque habeat
 prouerbiū vetus. Monachus es Genebrarde,
 non orator, id est non bene sed maledicendi
 peritus, hoc à me in te dictum satis est. Nam
 quàm hoc vestrum totum genus sit in omnes
 pios, imò in ipsam Christi, & Euangelij ve-
 ritatem maledicum, furiosum, denique vni-
 uersus orbis testatur: imò pontifices quoque
 ipsi Romani id confirmant, ne aliunde, quàm
 ex tuo ipsius Deo, petiitum in te testimonium
 omnes videant. Est enim illud pij nomine se-
 cundi Romani Episcopi, qui antea Aeneas
 Syluius vocabatur, quod in te quadrat egre-
 giè, & *καὶ ἐξ ἑσθιν.*

*Non audeat Stygius Pluto tentare, quod audent
 Infamis monachus, plenâque fraudis anus.*

Et *μὲν ἄρα* tanquam *μὲν ἄρα* id est, qui do-
 lorem omnibus parat dici, plerique etiam
 vestrum existimarunt. Et certè quidem alius,
 & ipse pontifex Romanus, de vobis olim ve-
 rè dixit nempe Bonifacius octauus. *Propter
 fratres istos, ait, diuersa in diuersi mundi partibus
 scandala oriuntur.* Verùm pro eo quod me, om-
 nésque bonos, & doctos viros in illa viru-
 lenta præfatione tam falsò criminatus es, hoc
 beneficium tibi reponam, Genebrarde, vt fra-
 ternè tibi illa cōdonem. Itaque his omissis fi-
 nem scribendi faciam, si prius cur te pro *Gil-
 berto Guilielmum* nominauerim, explicaro. Ve-
 rum

rùm enim uero istud tua vnus culpâ euenit,
 non vllò meo certè quidem dolo, quemad-
 modum testis est mihi Dominus Deus, nō no-
 men tuum grandiori litera G. scripseras, co-
 gnomen verò plenè expresseras, *Genebrar-*
aus. Ergo Guilelmum pro Gilberto. i. ouum
 pro ouo supposui, quæ mea est maxima cul-
 pa, & magnum, vt putas, in te conuitium. Vti-
 nam tua in me essent paria. Verùm vt totam
 hanc meam responsionem concludam, & tibi
 de tuo nomine satisfaciam, en tibi illud hoc
 disticho restituo,

Quum te non noram, Guelum, doctumque pu-
tabam:

Postquam te noui, iam Gilibertus eris.

Vale.

Adde ad marginem pag. 42. lin. 5. In Prefat. fol. 35. pag. 2.
 Ibid. lin. 16. Iordano Genebr. fol. 92. pag. 2.



ADVERSUS GENTILIA
In primis aduersus eos qui colunt
idola. In secundis aduersus
eos qui in rebus naturalibus
magiam exercunt. In tertijs
aduersus eos qui in rebus
naturalibus magiam exercunt
et in rebus supernaturalibus
magiam exercunt. In quatuor
aduersus eos qui in rebus
naturalibus magiam exercunt
et in rebus supernaturalibus
magiam exercunt. In quatuor
aduersus eos qui in rebus
naturalibus magiam exercunt
et in rebus supernaturalibus
magiam exercunt. In quatuor
aduersus eos qui in rebus
naturalibus magiam exercunt
et in rebus supernaturalibus
magiam exercunt.

Postquam est in rebus
naturalibus magiam exercunt
et in rebus supernaturalibus
magiam exercunt.




1973

176



1
G
D
K





Farbkarte #13

B.I.G.

^{ck}
CONFIRMATIO
VERAE ET OR-
THODOXAE DOCTRI-
NÆ, QVOD FILIVS DEI
DOMINVS NOSTER IESVS
Christus sit & verus Deus, & Pa-
tri homoufios, & æqualis.

Contra
*Postremum de eo Gilberti Genebrardi Doctoris
Parisiensis scriptum.*

PER LAMBERTVM DANAEVM.

Cyrillus in Euangelium Ioannis lib. 2. cap. 135.
Filius non conuenienter dicitur secundus naturã à Patre.



GENEVÆ,
APVD EVSTATHIVM VIGNON.
M. D. LXXXV.